



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia
Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De
Divina Gratia Pars ...**

Continens Posteriores Libros Septem De Habituali Gratia, Sanctificatione
Hominis, Ac Merito

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1621

Cap. XXI. Communibus obiectionibus hæreticorum contra dispositionem
vltimam ad iustitiam satisfit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94104](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94104)

Comparanda est, & ut sic, intentio, quæ supponitur, non est dilectio Dei, sed est voluntas abiiciendi à se culpam, vel exeuendi à statu peccati, quæ est proprius actus penitentiae, ad quem tam detestatio peccati, quam etiam dilectio Dei potest, ut medium, comparari, ut constat ex doctrina D. Thomæ 3. p. quæst. 87. art. 2. ad 1.

18. Ad probationem alterius partis, dato antecedenti, quod charitas non possit virtute in alia virtute contineri, negatur consequentia, quia contritio, seu detestatio peccati, de qua tractamus, non est actus elicitus ab alia virtute, sed ab ipsa charitate, ut D. Thomas loco proxime allegato testatur, & ita, licet virtute contineat dilectionem, non sequitur, charitatem contineri virtualiter in alia virtute, sed vnum actum charitatis contineri virtute in alio actu eiusdem charitatis, quod nullum est inconueniens, etiam si è contrario ipsa displicentia peccati virtute in amore contineatur. Instabis, quia amor est perfectior, & de se propria causa detestationis, & ideo potest illam virtute continere, è contrario vero non videtur actus minus perfectus virtute continere perfectiorē, ergo nec detestatio amorem. Respondetur, non esse hanc continentiam intelligendam quasi eminentialem, qualis in principio efficiente æquiuoco postulat, sed factis est, quod morali modo vnus actus in alio contineatur, tum proposito, tum necessaria consecutione, ac dispositione, & hoc modo displicentia efficax peccatorum, & absolutum odium illorum, ut Deum offendunt, & à Deo auertunt, continet virtute amorem, quia & continet illum in voto, seu proposito, & est dispositio necessario connexa de se cum tali actu, si opportunitas illius occurrat. Reliqua, quæ ille auctor addit, solum sunt verba per nimiam exaggerandi licentiam dicta, ut apud eundem auctorem non raro inueniuntur sine fundamento rationis. Nam quam ibi addit, profecto indigna est viro theologo: probat enim non esse sinceram interpretationem Patrum, dilectionem implicitam admittere, quia non consonat sanæ fidei, iustificationem absque supernaturalibus actibus concedere. At enim quænam est consecutio, aut quis sentit, nisi Pelagianus, veram contritionem, seu detestationem peccati disponentem ad iustitiam esse actum naturalem? quod si supernaturalis est, unde sequitur, eum qui in aliquo casu illam, ut sufficientem dispositionem admittit, concedere iustificationem absque supernaturalibus actibus? Addit, quia actus supernaturales omnium primi sunt fides, & dilectio. At hoc falsum est quoad posteriorem partem, nec illam docent Patres, sed contrariam, nam prior est timor, & prior est spes, qui actus supernaturales sunt, utrumque enim ex Concilio Tridentino sumitur. Et licet verum sit, comparatione facta ad detestationem, dilectionem esse natura sua priorem, non tamen est id ita necessarium, ut in nullo casu oppositum contingere possit, nequid docent Patres, neque probabilis ratione suaderet: illas ergo faciles exaggerationes contemnimus.

19. Tertius actus à Concilio Tridentino traditus est propositum nouæ vitæ, seu seruandi in posterum mandata. De quo actu, quod sit optimus, & congruentissima dispositio ad mutationem, quæ in iustificatione fit, & ad vitam nouam instituentiam, per se notius est, quam ut probatione indigeat. Item non est dubium, quin aliquo modo sit necessarius, nam in efficaci amore Dei, & in odio peccati absoluto virtute includitur. An vero sit necessarius, etiam ut esse potest specialis actus ab amore, & detestatione distinctus? ab auctoribus controuertitur. Verum tamen eodem modo iudicandum est de hoc actu, ac de præteritis: per se enim necessarius est, si memorie obiectum eius occurrat, fieri tamen potest in casu, ut implicite aliis contentus sufficiat, ut in dicto 4. tom. disput. 4. sect. 3. neque nunc aliquid occurrit.

Quod vero Concilium addit de voto, seu proposito recipiendi sacramentum baptismi, vel penitentiae, iuxta conditionem peccatoris multo certius est, sufficere posse votum implicitum in generali proposito seruandi mandata, ut si baptismus ignoretur, vel non actu cogitetur, nec obligatio conficendi practice memoriæ occurrat, quia non instat pro tunc, sed tempus habet determinatum ex præcepto. De qua re in eodem tomo. 4. tractando de baptismo, & de confessione late dictum est.

Possit autem quis interrogare, an Concilium omnes dispositiones ad gratiam, tam proximas, quam remotas, enumerauerit, vel præter illas sint aliae? Et ratio dubii est, quia Patres solent alias addere, ut orationem, humilitatem, elemosynam, & similes, ut colligi potest ex Augustino epist. 105. dicente. Nec quisquam iustificatur, nisi gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum, non solum remissione peccatorum, sed prius infusione fidei, & timoris Dei, imperito simul orationis affectu, & effectu, & ex aliis, quæ tetigi in tom. 4. 3. partis disput. 9. sect. 1. & tradit Vega libro sexto in Tridentinum capit. 38. Dicendum autem est breuiter, ad dispositionem ultimam tantum illa quatuor requiri, quæ Concilium Tridentinum sess. 6. can. 3. enumerauit, credere, sperare, diligere, & pati. sicut oportet: nam si plura essent necessaria, certe Concilium non omitteret. Item quia per illos actus, & intellectus sufficienter eleuatur in Deum, & voluntas sufficienter conuertitur in Deum, & auertitur à peccato, sub dilectione autem, & penitentia propositum nouæ vitæ subintelligendum est, ut ipsum Concilium explicauit. Dispositiones autem remotæ possunt fortasse multiplicari, Concilium autem eas numerauit, quæ & magis directe, & frequentius, attenta hominis conditione, ad ultimam dispositionem inducunt. Unde alii actus dici possunt dispositiones remotissimæ, vel generalia remedia ad omnem bonam operationem, ut oratio, humilitas, &c. ut latius in citato loco tom. 4. dixi.

C A P V T XXI.

Communibus obiectionibus hæreticorum contra dispositionem ultimam ad iustitiam satisfi.

Explicata Catholica doctrina, argumentis, quibus ab hæreticis impugnatur, satisfacere necesse est, quæ partim in testimoniis Scripturæ, partim in aliquibus Augustini locutionibus fundantur. Ex Scripturis præcipue congerunt illa, in quibus salus, id est, iustificatio, fidei tribuitur. Et primo ex Evangelio referuntur plurima loca, in quibus Christus testatur propter fidem salutem tribuere, ut Matthæ 9. Videns Iesus fidem illorum dixit paralytico: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Nam in prioribus verbis non dixit Euangelista, Videns Iesus opera eorum, sed videns fidem illorum, & in posterioribus solam fiduciam à paralytico Christus postulauit, & paulo inferius mulieri, quam à profluvio sanguinis sanauerat, dixit: Fides tua te saluam fecit. Et similia verba dixit Magdalenæ cum ei peccata remisisset Luc. 7. & ca. 17. cum ad vnum ex leprosis, qui post sanitatem ab eo acceptam, ad eundem reuersus est, dixit: Fides tua te saluum fecit, quod tam de interna, quam de externa salute intellexisse videtur, veramque enim illi contulerat. Et simili modo dixit cæco Luc. decimo octauo. Responde, fides tua te saluum fecit, de quo statim dicitur: Et confestim vidit, & sequebatur eum, magnificans Deum. Quod si quis respondeat, his locis nominari fidem, non vero alia excludi, contra hoc instant in primis, quia Luc. 8. expresse addidit exclusiuam, dicens Iairo, cuius filia mortua fuerat, Noli timere, crede tantum, & salua erit. Deinde instant testimoniis, quibus significatur,

cat, fidem esse formam iustificantiem, & dantem spirituales vitam, ut in illo: *Iustus ex fide vivit*. Abac. 2. Rom. 1. Hebr. 10. Et simile est illud Roman. 5. *Iustificati ex fide pacem habemus* &c. & illud 1. Ioann. 3. *Qui credit in filium Dei in se, utique quod & ipse sit filius*. Deinde addunt testimonia, in quibus omnes credentes iusti dicuntur, seu ex Deo nati, ut ad Roman. 1. ubi de Evangelio ait Paulus: *Virtus est in salutem omni credenti, & addit. Iustitia enim Dei in eo reuelatur ex fide in fidem*. Vnde 1. Ioann. 5. dicitur. *Omnis, qui credit, quoniam Iesus est Christus, ex Deo natus est*. Act. 10. *Remissionem peccatorum accipere omnes, qui credunt in eum*, & cap. 13. ait Paulus, *In hoc (scilicet Christo) omnis, qui credit, iustificatur*. His addi possunt difficiliora loca, in quibus Paulus ita tribuit fidei iustificationem, ut expresse opera excludat, quae peculiari tractatione indigent, quam capite sequenti instituemus.

Secundo inducunt Patrum testimonia dicentium solam fidem iustificare. Origen. ad Roman. 3. Hilar. can. 8. in Matth. Basil. homil. 22. de Humilit. Ambro. in 3. 4. & 9. caput ad Roman. & serm. 45. de Bono latrone. De quo etiam allegatur Chrysostom. homil. de Fide, & legenat. dicens. *Nullus sine fide vitam habuit, latro credidit tantum, & iustificatus est, & in epist. ad Tit. homil. 3. Si credis fides (ait) cur alia inferis, quasi fides non sufficiat iustificare sola*. Tandem, ut alios omittam, addunt (quod mirabile est) Bernardum, & Augustinum: nam Bernard. epist. 77. dicit, solam fidem interdum sufficere ad salutem, & serm. 22. in Cantic. ait, iustificatum per solam fidem habere pacem apud Deum, Augustinus vero lib. 83. Quaest. 76. cum, qui credit, & statim ab hac vita discedit, saluari dicit per fidem sine operibus, quia praecedentia non fuere meritoria, & sequentia habere non permittitur. Allegatur etiam in lib. 1. contra duas epist. Pelag. c. 21. quia dicit, neminem saluum fuisse inquam, nisi per fidem mediatoris. Sed haec, & similia loca non faciunt ad causam, quia non dicit, per illam solam, sed dicit, illam semper fuisse necessariam.

Tertio addi potest ratio praecipua, quam haeretici ex aliis suis erroribus conficiunt, quia homo non iustificatur per propriam inherenter iustitiam, sed per externam Christi apprehensam, ut sibi imputatam, sed hanc iustitiam Christi & imputationem eius sola fides apprehendit, credendo illam, seu magna fiducia illam, ut propriam, reputando, ergo. Alia ratio fundata in Paulo est, quia gratis iustificamur Roman. 3. *Iustificati gratis per gratiam ipsius*, ergo nulla dispositio ad iustificationem ex parte nostra praecedat, aut postuletur, alias intuitu illius daretur iustitia, & remissio peccatorum, & consequenter non gratis, iuxta aliud principium Pauli, *Si gratia, iam non ex operibus* Roman. 11. Vltimo addi potest ratio fundata in alia doctrina Augustini, quod bona opera non praecedunt iustificandum, sed sequuntur iustificatum, ut ait libro de fide & operibus. cap. 4. quod necesse est intelligi maxime de operibus pietatis, quae ad iustitiam conducant: ergo non potest peccator facere opera, quibus se ad iustitiam disponat, quia deberent esse opera pietatis, & antecedentia gratiam, quod esse non potest secundum Augustinum. Vnde in q. 2. lib. 1. ad Simplician. aperte pronuntiat: *Nemo propterea bene operatur, ut gratiam accipiat, sed quia gratiam recipit, & lib. 1. contra duas epist. Pelag. cap. 2. Non vivunt (inquit) homines bene, nisi prius facti sint filii Dei*. Similia habet lib. de Spirit. & liter. cap. 26. & enarrat. in Psalm. 110. & serm. 26. in Psalm. 118.

Circa priora Scripturae testimonia in primis dicimus, inepte, & tumultuario ab eis allegari, propter tria praecipue. Primo quia ipsi iustificationem tribuunt eundem speciali fidei, ut supra visum est, & omnia illa testimonia allegant, ac si de illa fide loquerentur, cum tamen in nullo illorum de illa sua fide sermo sit. Secundo quia omnia aequae congerunt, ac si in eodem sensu, & in ordine ad eundem effectum

iustificationis loquerentur, cum tamen in pluribus eorum non sit mentio de iustificatione, nec de fide, quae iustificat, vel quatenus iustificat. Tertio, quia in loca Scripturae, vnde illa testimonia sunt excerpta, integre legantur, & considerentur, ex his evidenter constat, solam fidem ad iustificationem non sufficere, ac subinde longe in alio sensu Scripturam de fide loqui, quam ipsi fingant, quae omnia per singula loca dicuntur, facile ostendemus.

Et in primis in verbis illis Matth. 9. *Videns Iesus fidem illorum*, non est sermo de fide ipsiusmet paralytici, Matth. 9. qui sanatus est, sed de fide illorum, qui per regulas portantes illum induxerant, ut ex contextu Evangelistarum constat: nam Marcus cap. 2. prius refert, quatuor fuisse portantes paralyticum, & de illis dicit: *Patefacti, entes submisserunt grabatum, & statim addit: Videns Iesus fidem illorum, & ita exponit Chrysostom. homil. 32. in Matth. Ambros. Luc. 5. Cyrillus Hierosolym. cateches. 5. ergo ibi neque est sermo de fide speciali, quae tantum esse dicitur de propria iustitia, non de iustitia alterius, neque est sermo de fide, quae sola sufficit ad iustificationem alterius, praesertim adulti. In illis ergo verbis sermo est de fide, qua illi homines credebant, posse Christum salutem illi homini dare, quae erat fides catholica, & fortasse in illis hominibus erat cum speciali perfectione, & fiducia, quae ad impetrandum miraculum posset sufficere. Sic enim etiam Marci. 9. Patri, qui filii liberationem à vexatione demonis postulabat, dixit Dominus. *Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti*, ubi de signis, & operibus mirabilibus evidenter est sermo, ac adeo non de fide filii, qui liberandus erat, sed de fide patris, qui filii incolumitatem petebat. Vnde non dicuntur omnia possibilia credenti, quia fides illa faciat, sed quia illa imperare valet. Est autem considerandum, efficaciam impetrandi principaliter fidei attribui, quia per fidem habet homo notitiam omnipotentiae divinae, & misericordiae, ex quibus oratio impetrat, quod petit, ut dixit D. Thomas. 2. 2. quae 83. art. 15. ad 3. & ideo merito dixit Evangelista, *Videns Iesus fidem illorum*, neque charitatis meminimus, vel quia non oportet semper omnia commemorare, sed id, quod ad rem maxime spectat, vel etiam quia charitas non est ad impetrandum necessaria, nam etiam peccatores orando possunt impetrare. & nihilominus licet sola fides nominata sit, non excluduntur alia, nec est sermo de fide torpente, & otiosa, sed de fide operante per aliquo modo, scilicet, petendo legitime, & Christo paralyticum cum magna fiducia praesentando.*

In verbis autem, quae Christus dixit paralytico, *Confide fili*, perfectionem spei ab eo postulavit, ut ex Concilio Trident. sess. 6. cap. 6. nam cum ille corporis sanitatem quaereret, volens Christus perfectius, & (ut ita dicam) radiciter illum sanare, ad maius beneficium remissionis peccatorum sperandum, animum eius erexit. Vnde ibi non postulavit Christus à paralytico specialem fidem de propria iustitia, quia neque eam habebat, neque apprehendere poterat iustitiam Christi, ut sibi imputatam, cum nihil de hoc audisset, sed postulavit spem futuri beneficii, quod ab ipso recepturus erat, sed praeter fidem postulavit spem, neque aliam poenitentiae dispositionem exclusit, licet illam non expresse, sed talem fiduciam postularet, qua speraret, omnia necessaria ad remissionem peccatorum esse recepturum. Vnde verisimile est, cum Christus illi homini dixit: *Confide*, simul interius ad memoriam peccatorum, & deestimationem eorum illum excitasse, vel saltem cum adiunxit: *Remittuntur tibi peccata tua*, simul aliquem poenitentiae motum illi inspirasse: & porit quidem Christus cum solo motu fidei, & spei peccata dimittere, quod si id fecit, non de ea re legem statuit, sed potius in ordinaria lege dispensavit, & miraculoso modo peccata remisit. Non est tamen id asserendum, quia verba non cogunt, nec miracula non necessaria,

2. Testimonia Patrum obiectio. 2.

3. Obicitur ratio.

4. Solutio generalis Scripturae.

ria, nec vitia sine maiori fundamento credenda sunt.

Præterea verba illa: *Fides tua te saluam fecit*, non semel, neque semper eidem personæ, atque adeo non ideo dicta non sunt in eodem sensu, & in nullo ad causam præsentem faciunt. Nam Matth. 9. Luc. 8. & Marc. 5. dixit Christus illa verba ad foeminam, quæ ipsum tetigerat, & sanitatem à profluu sanguinis consequuta fuerat. Volens autem Christus tam illam, quam circumstantem turbam docere, quæ via, & modo sanitatem consequuta fuerat, circumspiciebat, ut videret illam, & postquam illa prociudit ad pedes eius, dixit illi: *Fides tua*. Ex quo contextu evidens est, non loqui Christum de fide speciali propriæ iustitiæ, sed de fide, quæ credebatur Christum esse potentem, & misericordem ad sanandam illam. Vnde intra se dicebat: *Si tetigero fimbriam vestimenti eius, saluaberis*. Hæc ergo fides tetigit Christum, & de eadem dixit Christus: *Fides tua te saluam fecit*. Vnde fides illius mulieris catholica fuit, & perfectionem habuit fidei miraculorum. Vnde etiam manifestum est, ibi per se, & formaliter non esse sermonem de effectu fidei quoad internam iusticiam, & remissionem peccatorum, quia de hoc ibi non agitur, sed de sanitate corporali, fuit ergo illa propriæ fides imperans, non iustificans. Quod si forte illa mulier etiam animæ sanitatem consequuta est, ut pie credi potest, licet ibi non dicatur, ad id quidem illa eadem fides deferuire potuit, cum esset fides infusa, & catholica de Christi omnipotentia, tamen inde colligi non potest, solam fidem sine alia dispositione internam iusticiam fuisse operatam, sed potius sicut illa foemina non est consequuta sanitatem corporis sola fide, sed fide simul operante, & mouente, ut ad Christum accederet, dicens: *Sisterigo*, &c. ita si eadem fide intus iustificata est, credendum omnino est, non fide otiosa, sed operante interius conuersionem ad Deum iustificatam fuisse. Vnde cum Christus dixerit: *Fides tua te saluam fecit*, quoad corporis sanitatem non potest intelligi, fidem per se, & quasi formaliter illam contulisse, sed tanquam principium mouens ad impetrandam illam à Christo, non imputatiue tantum, aut fide, sed vere: ita ergo de sanitate animæ intelligendum est, si ad illam dicta verba extendantur, ut mox videbimus. Idemque dicendum est de similibus verbis dictis ad leprosum Luc. 17. & ad cæcum Luc. decimo octauo.

Apud Lucam autem cap. 7. illa eadem verba dicta Magdalene longe diuersum sensum habent, nam sine dubio propter iusticiam, & remissionem peccatorum, quata fuerat consequuta, dictum est illi: *Fides tua te saluam fecit*. Ad hanc enim salutem spiritualem obtinendam mulier peccatrix ad pedes Saluatoris accesserat. Est autem magna impudentia verba illa ad confirmandum errorem de sola fide iustificante trahere, cum ad confirmandum illum errorem sola illa historia, & omnia verba Christi ibi relata, & inter se collata sufficiant. Nam ex illa historia constat, Magdalenam non fuisse sola fide contentam, ut remissionem peccatorum à Christo obtineret, sed ex magno amore de peccatis doluisse, & vtrumque multis signis, & lachrymis ostendisse, ideoque prius sententiam protulisse, dicens: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*. Cum ergo Christus expressis verbis dilectioni attribuat remissionem peccatorum, quæ impudentia audent isti dicere, Magdalenam sola fide fuisse iustificatam, aut in illis prioribus verbis diligendi verbum pro verbo credendi positum dicunt, cur non potius in posterioribus verbis fidem pro charitate positam esse dixerint: vel si priora verba per posteriora corrigere audent contra infallibilis Christi veritatem, cur non potius posteriora verba per priora catholico, & vero sensu interpretantur, nimirum fidem viuam, & per charitatem operantem, Magdalenam saluam fecisse. Vnde hoc solum Christi testis

monium sufficit ad explicandum omnia, quæ de iustificante loquuntur, & sine expressa exclusionem dicunt, fidem iustificare, sufficienter enim intelliguntur de fide per charitatem operante, iuxta doctrinam Apostoli ad Gal. 5. quamuis aliæ suppetant verissimæ interpretationes, iuxta variorum locorum exigentiam, ut mox dicemus. Hæc igitur nunc de illis prioribus testimoniis sufficiunt.

Superest, ut alia, in quibus particula exclusiua expressæ, vel virtute apponitur, expendamus. Et de formali exclusiua solum allegatur locus Luc. 8. *Crede tantum, & salua eris*, sed ineptissime, nam ibi non est sermo de fide iustificante, sed de fide miraculorum, seu impetratiua extraordinarii beneficii. Loquutus enim est Christus verbis illis ad Iairum Principem synagogæ, qui prius salutem filix morientis poscebat, Christus autem illam distulit sanare, ut posset resuscitare. Nam cum interim nuntiatum esset patri, filiã esse mortuam, ne diffideret, Christus illum præuenit dicens. *Crede tantum, & salua eris*: non petit ergo fidem iustificantem, quia (ut dicebam) hæc postulat ab eo, qui iustificandus est, Christus autem non postulat fidem puellæ resuscitandæ, sed patris postulantis. Itē ille non postulabat filix iustificationem, sed sanitatem, & Christus cum dicit, *Et salua eris*, non iusticiam, seu vitam animæ, sed vitam, & salutem corporis promittit, ergo petit fidem miraculorum, seu miraculi impetratiuam. Denique licet promitteret spiritualem salutem filix, nihilominus in illa non solam fidem exigeret, ut eam iustificaret, neque ibi tractat de dispositione in illa necessaria ad tale beneficium recipiendum, sed tantum de fide necessaria in parente ad optinendum quod petebat, ad quem effectum potest interdum sufficere sola postulantis fides ratione iam dicta.

Inter testimonia vero, in quibus dictio exclusiua virtute contineri dicebatur, primo loco penebantur illa, in quibus fides ponitur, ut forma iustificans. Ad quæ respondemus, nulla esse in Scriptura talia testimonia, nam potius Scriptura dicit, per charitatem fidei quibus dicendum perfici, ac subinde formari ad Gal. 5. & sine charitate nihil esse. 1. Corinth. 13. seu mortuam esse, Iaco. 2. & similia. Testimonia vero, quæ ad id suadendum ter particula adducuntur, leuissima sunt, nam in his, quæ dicunt, iustum ex fide viuere, vel iustificationem esse ex fide, particula, *ex*, non dicit causam formalem, quia nec in proprietate sermonis dictio illa talem habet significationem, nec in illis locis aliquæ sunt circumstantiæ, quæ cogant talem sensum illi affingere. Ita ergo dicitur iustificatio esse ex fide, sicut ad Roman. 3. dicitur: *Iustitia Dei per fidem Iesu Christi in omnes, & super omnes, qui credunt in eum*. Quæ verba iuxta perpetuum Ecclesiæ sensum, ita exposuit Concilium Trident. sess. 6. capit. 8. *Ut per fidem ideo iustificari dicamur, quia fides est humane salutis initium, fundamentum, & radix omnis iustificationis*: eodem ergo modo dicitur iustus ex fide viuere, tanquam ex fundamento, & radice, sicut dicitur arbor viuere ex radice, & aqua profluere ex fonte: sic enim omnis operatio, per quam iustificamur, à fide ducit initium, & in ea fundatur, & ideo merito ex fide viuere dicitur iustus, quia ex fide opera vitæ spiritualis exercet, & similiter dicitur ex fide iustificari, quia, ut dixit Augustin. episto. 105. *Omnis iustificatio à fide ducit initium*, quod in superioribus, præsertim in lib. tertio, late à nobis explicatum est.

Addebantur secundo loco testimonia, quæ omnibus credentibus vitam, & salutem attribuunt, quod verum non esset, si fides tantum esset fundamentum, & radix, & non forma dans vitam, & salutem. Ad quæ omnia generaliter, & vno verbo respondetur, vitam promitti omnibus credentibus, sicut oportet, utique fide viuam, & operantem, non otiosam, & mortuam, ut docuit Iacob. ca. 2. & eleganter explicuit August. præfat. in Psalm. 31. & lib. 83. Quæstion. 76. & serm.

9. Interpretatio formalis exclusiua.

10. Responde-tur ad loca, quibus dicitur, quæ subinde formari ad Gal. 5. & sine charitate nihil esse. 1. Corinth. 13. seu mortuam esse, Iaco. 2. & similia.

11. Omnibus fide viuam credentibus salus promittitur.

& serm. 53. de Tempore, ubi ait, fidei attribui salutem, quia per ipsam salutem eternam impetramus, & addit inferius, Vere beatus est, qui & recte credendo bene vivit, & bene vivendo rectam fidem custodit, &c. Ad maiorem autem veritatis ostensionem liber ad singula testimonio hoc responsum applicare. Et in primis aliquando dicuntur omnes credentes esse iusti, non actu, sed potestate. Sicut enim Ioann. 1. de Verbo incarnato dicitur. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine eius. Vbi non omnes credentes dicuntur fieri filii Dei, sed accipere potestatem, ut fiant filii Dei, quia recipiunt fidem, per quam possint impetrare iustitiam, vel quia per fidem excitantur, ut tandem in Deum convertantur, & vivant, vel quia credentibus in Christum datur potestas recipiendi baptismum, per quem ex Deo, & non ex sanguinibus nati sunt. Sic etiam dixit Ioann. tertio. Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam eternam. Nam hic quidem est finis aduentus Christi, & omnes credentes illum consequi possunt, non tamen omnes assequuntur, quia non omnes volunt.

Fidelis est in
sua potestate.

12.
Ad Rom. 1.
soluitur.

Instat here-
ticus.

Impugna-
tur.

In hunc ergo modum potest optime intelligi primum testimonium Roman. 1. ubi Evangelium esse dicitur virtus omni credenti, quia in eo revelatur iustitia ex fide, id est, quia in eo pradicatur fides, quæ est virtus, per quam homines possunt iustificari, si velint. Sed instat Calvinus, quia ibi additur. In eo revelatur iustitia Dei ex fide in fidem, & non dicitur ex fide in opera, sed ex fide in fidem, attribuendo utique fidei tam initium, quam consummationem iustificationis. Sed est friuola obiectio. Primo quidem quia nec verba id significant, nec Patres ita exponunt, sed multis aliis modis, scilicet ex fide annunciantium in fidem credentium, ut August. de Spirit. & liter. c. 11. vel ex fide venturi Christi, vel obscura veteris testamenti in fidem explicitam Christi, vel ex fide inchoata, seu mortua in fidem vivam, seu ex fide credente in fidem operantem per charitatem, ut ipse alibi dixit. Unde iuxta hanc ultimam expositionem, quæ probabilissima mihi videtur, potius ibi significat Paulus, iustitiam Evangelicam non consistere in sola fide credente, & quasi speculativa, sed in fide practica, & operante. Hæc enim est iustitia, quæ in Evangelio revelatur, dicente Christo: Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, docentes eos servare omnia, quæcumque mandavi vobis. Mat. 28.

13.
Ioannes ep.
1. c. 5. dissol-
uitur.

Simili modo facile respondere potest ad verba Ioannis c. 5. epist. 1. dicentis: Omnis, qui credit, quoniam Iesus est Christus, ex Deo natus est, ut sermo sit potentialis, id est, ex Deo nasci potest. Ioannes enim præcipue intendit docere, neminem posse ex Deo nasci, nisi credat Iesum esse verum Messiam, tamen hoc explicat per illam affirmationem, quia qui fundatus est in illa fide, facile potest ex Deo nasci, quod non credenti est impossibile. Vel sicut proxime dicebamus, qui credit non solum speculativè, sed practice Iesum esse Christum, & per illum movetur, & obedit illi, ex Deo natus est, præcipue cum illius fidem in baptismo profitetur. Præterea regula generalis est, huiusmodi affirmationes, quæ in Scriptura absolute proferuntur, posita una conditione necessaria, non excludunt reliquas, sed potius semper subintelliguntur, ita ut sensus sit, ex Deo natus est, quantum est ex parte fidei, sicut idem Ioannes dixit cap. 3. Qui habet hanc spem sanctificat se, utique quantum est ex parte spei, si alia necessaria non desint. Denique intelligitur de credente fide viva, non mortua. Quod non melius, quam ex eodem Ioanne in eadem epistola probamus, tot enim sunt evidentiæ eius testimonia, ut incredibile sit protervia sit, nolle vnum per plura intelligere, sed potius per vnum male intellectum multa corrumpere. Ait enim Ioannes in eadem epist. cap. 2. Qui dicit, se nosse Deum, & mandata eius non custodit, mendax est.

Ecce iterum. Qui dicit, se in luce esse, & fratrem suum adit in tenebris est usque adhuc. Nihil certe accommodatius contra huiusmodi temporis hæreticos dici potuit, ita enim, se in luce manere, si credant se esse iustos, licet charitatem non habeant, quæ magna ex ceteris est. Et ideo addit idem Apostolus in c. 3. Filioli nemo vos seducat, qui facit iustitiam, iustus est. Et infra. Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit. Et iterum. Qui non diligit, manet in morte, & alia multa similia in alia epistola leguntur, quæ catholicam sententiam aperte confirmant, verumque sensum illorum verborum declarant. Denique eodem modo dicuntur in Actibus remissionem peccatorum accipere omnes, qui in Christum credunt, utique qui velint, vel si fidem non otiosam, sed actualem, sicut oportet, habeant.

Ad Patres eadem responsiones adaptandæ sunt, nam eodem modo loquuntur, quo Scriptura, & tam multipliciter, tamque evidenter docent in aliis locis. Patres necessitatem aliarum dispositionum ultra fidem intellectus, ut de vero sensu vnius, vel alterius voculæ, quam in aliis locis addunt, vel omittunt, nemo prudens dubitare possit. Ut tamen, si fieri potest, protervis etiam hoc persuadeamus, per singula obiecta brevitè discurremus. Generaliter autem pro his, qui addunt particulam, sola, dicimus, nunquam per illam excludere voluisse alias internas dispositiones necessarias ad iustitiam, quas aliis locis requirit, sed aliquid aliud, quod secundum circumstantiam loci iudicandum est. Origenes ergo dicit, solius fidei iustificationem sufficere posse, etiam si nihil operis fuerit completum, de fide per charitatem formata loquitur, unde solum excludit opera externa. Verumque patet eodem ita in c. 4. eiusdem epistolæ ad Roman. ubi, ut supra retuli, dicit, iustitiam fide inchoari, speciei, charitate consummari. Et expresse adiungit. Credentibus quidem Christo, nec tamen dependentibus veteri hominem cum actibus suis, fides non potest ad iustitiam regnari. Similiter Hilarius canon. 7. in Matth. non tantum fidem, sed etiam observationem præceptorum Domini ad vitam animæ postulat, cum ergo canon. 8. dicit fidem solum iustificare, legi veteri fidem opponit, ut ex contextu clarum est, ideoque solum legem excludit, quæ, teste Paulo, iustificare nunquam potuit.

Basilii autem in Constitut. Monast. capitul. 16. ita scribit. Omnibus autem rebus, priusquam ad eas aggrediamur, viam munire debet, ac præstruere ea, quæ in Deum fides est, etque comes una spei alacritas adiungenda, quæ videlicet, & fidei fultus animi vires suffulcimus, & ipsi alacritate animo ad res honestas erectiores sinus. Et infra. Ad perfectum virtutis cumulum virrag. commenda simul esse oportet, & humanum studium, & auxilium caligis fidei opera ascitum, & comparatum. Vbi non ponit fidem ut formam iustificantem, vel ut manum apprehendentem iustitiam, sed ut fundamentum, & principium, cui adiungit spem, quibus iustitiæ consummationem imperari dicit, sicut etiam in libro de Spiritu Sancto capite duodecimo, in fine, dicit, fidem per baptismum, baptismum autem fundamento prædicat. Ac præcedit (inquit) professio ad salutem, sequitur autem baptismus, consignans pactum nostrum, id est, alia Spiritus Sancti dona, & virtutes infundens, quibus consummatur iustitia, & homo animo, & verbis, & opere immutatur, ut idem Basilii pluribus confirmat in regul. moralib. regul. 20. Unde in Homil. de Humilitate, per particulam, sola, humanam tantum iustitiam excludit. Nam cum multa dixisset contra arrogantiam in humana sapientia fundatam, adducit Paulum dicentem. Qui gloriatur in Domino gloriatur, & cum eodem concludit: Perfecta gloriatio est in Deo, quando neg. propter suam ipsius quæ iustitiam extollitur, sed agnoscit, se quidem vera deest iustitia, verum solum Christo fide iustificatum esse. Ex quo contextu aperte constat Paulino more excludi iustitiam humanam in humana sapientia fundatam, non supernaturalem iustitiam

tiam fundatam in sola fide, quam infra etiam cum Paulo vocat, *iustitiam*, quæ ex Deo est infide, per quem loquendi modum euidenter significatur, iustitiam illam, quæ ex Deo est, aliquid ultra fidem esse, quod in fide datur, seu fundatur, & subiungit statim gloriam veram hominis sicut iustificati esse, ut omnia sua mortificet, futuram in Christo vitam quarat, per omnia in gratia, & dono Dei viuatur, & alia, quæ profequitur.

16. Ex Ambrosio expressè habemus, fidem solam non sufficere, nam Hebr. quarto sic inquit: Magna quidem res est fides, & salutaris, & sine hac non est saluari possibile alicui, sed sola fides non sufficit, operari fidem per dilectionem necessarium est, & conuersari digne Deo. Quod si quis dicit, non esse certum commentaria illa esse Ambrosii, aduertat obiectionem ex illis commentariis præcipue esse desumptam, & ex sermone non magis certi auctoris. Et tamen nos illo responso non vitmur, quia satis est, quod illa opera vel Ambrosii, vel grauis auctoris Carolici esse censentur. Habemus tamen satis expressam fidem Ambrosii in loco indubitato. Nam libro septimo in capite decimo quarto Lucae prope initium: Fides (ait) & ratio quaeritur. Et infra. Nec hoc tamen planum est, ut aliquis vocatus adueniat, nisi vestem habeat nuptialem, hoc est fidem habeat, & charitatem. Et enarratione in Psalm. 61. circa illa verba. Effundite coram illo corda vestra, inquit. Qui induit fidem, prius perfidiam debet exuere, euacuare cor suum ab omni labe malitia, ut capax fiat cor eius gratia spiritualis. Ideoque Apostolus ait: Renouamini spiritu mentis vestrae. Cum enim effunditur vetus malitia, non assumitur gratia, qua unusquisque renouatur. Non poterat certe clarius describere modum renouationis per fidem, vel quid ultra fidem necessarium sit, declarare. Igitur in locis, quæ ex Ambrosio in epistola ad Romanos citantur, cum dicit, *sola fidem*, legem excludit, non alios actus, vel opera ab ipsa fide procedentia. Nam in capite tertio, cum dixisset, legem non potuisse iustificare, sed fidem, subdit in §. Iustificati. Iustificati sunt gratis, qui a nihil operantes, neque vicem reddentes, sola fide iustificati sunt dono Dei. Vbi aperte excludit legem, & omnia opera antecedentia fidem, non vero donum Dei consequens fidem. Vnde in §. sequenti ita dicit, non iustificari hominem apud Deum, nisi per fidem, quod statim declarat, dicens. Nulla facies operis a legi. Vnde in eodem capite, §. Hoc iuxta, ait: Quamuis peccatores simus, reformamur tamen per penitentiam, & in §. sequenti, Non tradit fides, quoniam peccare debere, quippe cum indicaturum Deum prædicet, sed delinquentibus consulit, ut recuperata salute sub lege Dei viuentes iam non peccent. Vnde licet etiam intelligere, sub nomine fidei comprehendere Ambrosii totam fidei doctrinam, quod vñtatum quidem est, ac proinde cum solam fidem nominat, non excludere actus, & opera, quæ ipsa fides Evangelica necessaria esse docet, sed quicquid extra hanc fidem additur, & præferim legalia. Et in eodem sensu loquitur capit. quarto. Quia vero interdum videtur etiam necessitatem penitentia, & laborum excludere, aduertendum est loqui in ordine ad baptismum, & excludere non internam penitentiam, sed externam, & laboriosam satisfactionem. Vnde in §. Hoc ipsum, ita concludit. Prophetæ tempus felix prævidens in Saluatoris aduentu beatos prædicat, quibus sine labore, vel aliquo opere per lauacrum remittuntur, reguntur, & non imputantur peccata. Et in vltimo §. cum dixisset, solos fideles esse filios Dei, addit. Pro infinita enim magnificencia sua Deus hoc donauit diligentibus se, quod sua dignum est maiestate. Et tandem in eodem capite, notum §. Saluari, cum dixisset, decreuisse Deum saluare homines per fidem, ita exponit. Quia sublati omnibus neomeniis, & sabbatho, & circumfisione, & lege eorum, & obligationibus pecorum, sola fides posita est ad salutem, euidenter excludens legalia, & iub fide totam Evangelicam legem comprehens.

pars 3.

Denique allegatur Ambros. serm. 45. quia dixit, sufficisse latroni ad iustitiam, Domino credidisse, si autem hæretici fideliter agere voluissent, alia Ambrosii verba addidissent. Nam in principio illius sermonis his verbis refert quæ in præcedenti dixerat: Meminit, fratres, vestra dilectio, me dedisse rationem, cur tantorum criminum inueteratus, & scelerum suorum confessione damnatus, paradysum in ipso, aululo potuerit promereri, &c. At vero in præcedenti serm. 44. tanti beneficii causam exponens, sic inquit. Primum quod iste latro deuotione fidei tam repente mutatus est, ut presentem penam despiceret, ac de futura venia precaretur, & magis crederet, vtile sibi esse de æterno iudicio, quam de presenti supplicio postulare. Reminiscens enim scelerum suorum, & penitentiam gerens, plus incipit dolere, quod sperat, quam sentire, quod patitur. Hæc est ergo fides, quam latroni sufficisse in altero sequenti sermone dixit Ambrosius, & in eodem serm. 44. dixerat. Qui propter scelera damnatus fuerat ad penam, propter fidem translatus esse ad gloriam, semper intelligens actiuam fidem, non otiosam, viuam, non mortuam, ut hinc intelligatur, Patres de fide loqui more Scripturæ, & quia inter chatholicos confiderenter loquuntur, non semper singulas partes addere, vel explicare. Nec dubitandum est, illos sermones esse Ambrosii, nam & pietas, & stylus, & sententiarum vberitas Ambrosiana sunt, & ideo in Romana nihil in eis adnotatur, sicut in aliis, quæ apud Maximum, vel Augustinum reperiuntur, fieri solet.

Iuxta hæc facile est intelligere verba Chrysostomi de eodem latrone cum dicit: Credidit tantum, & iusti. 18. ficitus est. Illa enim particula, tantum, non excludit internos actus comitantes, & quasi formantes fidem, verba. ut iustificare valeat, sed excludit externa opera penitentia, satisfactionis, & aliorum mandatorum, ut statim circa Augustinum explicabimus. Alioqui enim fidem non sufficere ad salutem sine recta voluntate, frequentissime docet Chrysostomus, ut videre licet homil. 5. 25. 26. & 70. in Matth. & homil. prima ad Timot. Non sola fide opus est, sed etiam charitate, & in epistol. ad Roman. cap. 14. Vnde in alio loco ad Titum cum dicit: Cur alia interseris illud relatiuum, alia, refert legalia, & similia superstitiosa, de quibus ibi loquebatur, illa ergo solum excludit, cum dicit, fidem iustificare solam. Vnde subiungit. Quid legis in go collum submitte? Vnde recte dici potest, nomine fidei ibi totum Euangelium, eiusque præcepta intellexisse.

Bernardus autem in eisdem locis, in quibus allegatur, euidentissime refellit hæreticam prauitatem. Reuincit Nam in epistol. 77. errorem dicentem, adultos non posse saluari per baptismum in voto, si ipsa baptis- 19. mum non suscipiant, etiam ob impotentiam, elegantissime impugnat, & statim in initio impugnationis ait. Si ante exitum respuerit, & voluerit, & petierit baptizari, sed mortis præoccupatus articulo forte obtinere nequie, dum non desit fides recta spes pia, charitas sincera, propius sit mihi Deus, quia huic ego, ob solam aquam, si defuerit, nequaquam omnino possum desperare salutem. Ecce fidem, quam Bernardus ut necessariam postulat. Vnde licet illius postea diceret, sola fides, nihil horum excludere censeret posset, sed realem baptismi susceptionem, de qua ibi disputabat. Paulo vero inferius referendo Ambrosium, dicit, illum homini non baptizato, & mortuo fidenter de sola fide salutem presumere: statim vero adiungit, & tribuere indubitanter bonæ voluntati, quod defuit facultati, quod merito addidit, quia in tota illa oratione de Obitu Valentiniani Ambrosius nunquam tribuit soli fidei gratiam sine baptismi obtentam, sed bonæ voluntati. Allegat deinde Bernardus Augustinum libro 4. de Baptismo capit. 22. dicentem, Non solum martyrium, sed etiam fidem, conuersionemque cordis posse supplere baptismum, si forte ad celebrandum baptismi mysterium in angustia temporum succurriri non potest. Et iterum infra cum dixisset Bernardus, Credens ipse sola fide posse hominem saluari, statim addidit,

Y 2

17. Locutus alius S. Amb ex-penditur.

18. Chrysost.

19. D. Bernard

didit, cum desiderio percipiendi sacramentum, si tamen pro desiderio mors anticiparet, vel alia quacunque vis inuincibilis obuiaret. Cum ergo inferius dicit, interdum iam fidem sufficere ad salutem, & quod sola fides fidem valet obtinere, & realem tantum susceptionem sacramenti euidenter excludit, & à fide iam voluntatis conuersionem non separat. Vnde infra iterum ait. Si recordatus fuerit homo necdum salutis percipisse mysterium, & dolens, poenitensque toto desiderio experierit, & mortis celeritate assequi nequeat, ita, damnabit fidem suam Deus? Ecce de quali fide loquitur, vere utique poenitente, ira ergo loquitur de sola fide per charitatem interius operante, licet exteriori careat sacramento. Est ergo euident, & mens Bernardi, & hæreticorum fallacia. Nec maiori fide alter locus allegatur, hæc enim sunt integra verba Bernardi: Quisquis pro peccatis compunctus est, ac sitit iustitiam, credat in te, qui iustificas impium, & solam iustificatus per fidem, pacem habebit ad Deum. Quomodo per solam fidem, si compunctionem cordis adiunctam habere supponitur? certe quia de illa fide loquitur, quæ cor contritum efficit, & particula, sola, excludit, vel compunctionem non fundatam in fide, vel aliorum operum absolutam necessitatem, iuxta dicta in priori testimonio. Denique catholicam in hac parte doctrinam plane, & sapienter tradit idem Bernard. sermon. 24. tractans verba illa: Recti diligunt te.

20. Superest Augustinus, qui licet pro necessitate operum cum fide tam acriter pugnaverit, & contra istos hæreticos tanta antea scripserit libr. de Fide, & operib. & passim in aliis suis operibus, nihilominus propter vnum, vel aliud verbum ab hæreticis in suam sententiam trahitur. Neq. solum in aliis, sed etiam in eo ipso loco, quem hæretici allegant, eos confundit. Nam ibidem ait, errasse hæreticos, qui dixerunt, saluari hominem per fidem, etià si flagitiose viuat, eosq. Apostolum non intellexisse. Respondere tamen possunt Augustinum ibi postulare opera post iustificationem, non vero ad ipsam iustificationem per fidem. Eos autem conuincet idem August. serm. 16. de Verb. Apostoli, dicens. Si fidem habemus, iam aliquid habemus iustitiae, aliquid dicit, non totam, & rationem reddit, quia fides tantum dat credere, & demones credunt, & contemiscunt: ut ergo discernatur fides, & perficiatur iustitia, inquit: Adde ergo fidei spem, & quæ spes, nisi de aliqua conscientia bonitate: speique ipsi adde charitatem, &c. Et ideo sermon. 23. de Verb. Apostoli. A fide (ait) domus Dei credendo fundatur, sperando erigitur, diligendo perficitur. At vero domus, seu templum Dei spirituale in iustificatione hominis ædificatur, ergo non sola fides illud consummat. Quin potius in aliis locis idem Augustinus docet, illam esse fidem otiosam, quæ per dilectionem non operatur, ut sermon. 53. de Temp. & Præf. ad Ps. 31. non esset autem otiosa, nec vacua, si iustum hominem efficeret.

21. Quamuis autem hæc vera, & clara sint, non caret dubitatione, cur August. in priori loco dixerit, quodam iustificari sine bonis operibus antecedentibus iustificationem, & interdum non permittitur habere sequentia, quia præmature moriuntur, & loquitur non solum de infantibus (in quibus id per se notum est, quia non per propriam dispositionem iustificatur) sed etiam de adultis, in quibus id obscurum est, Quia vel Augustinus sentit, aliquos iustificari cum sola fide sine operibus concomitantibus ipsam, quod hæretici volunt, vel non recte dicit, aliquos adultos saluari sine bonis operibus: nec recte id colligit numerando antecedentia, & sequentia opera, illaque excludendo, cum omittat concomitantia opera disposita ad iustitiam. Respondent aliqui, loqui Augustinum de fide viuâ, quæ sine actuali operatione potest esse viuâ per habituales gratias. Sed licet habeat locum in homine iustificato in infantia, non tamen in his, qui adulti iustificantur, de quibus nunc loquimur, &

Prima responsio. Reuincitur.

Augustinus loquebatur. Alii Augustinum exponunt de operibus factis viribus propriis, quorum meritum respectu iustificationis excludere intendit. Sed licet aliis locis ita loquatur Augustinus, & ibi ita debeat intelligi quoad opera, quæ antecedunt fidem, non habet illa expositio locum quoad opera subsequenta fidem, ergo necesse est loqui generatim de bonis operibus, siue propriis viribus, siue per gratiam factis, nam opera, quæ non permittitur facere iustus morte præuentus, non sunt tantum naturæ, sed etiam gratiæ.

Alii ergo dicunt, loqui Augustinum de operibus mandatorum, & quæ sint in præcepto, & tantum illorum absolutam necessitatem excludere, quia fieri potest, ut aliquis adultus eo tempore iustificetur quo nec Deum actum amare, nec contritionem habere ex præcepto teneretur, & quod moriatur, priusquam tempus implendi aliquod præceptum occurrat. Quam expositionem etiam Origeni, & Chrysostomo aliqui accommodant. Sed mihi non placet, quia non potest adultus iustificari extra sacramentum, quin præceptum dilectionis Dei, vel poenitentiae impleat. Nam licet fortasse pro illo momento, vel tempore tale præceptum nondum obligaret, nihilominus eius obligatio impleta manet, nam qui soluit debitum, priusquam teneretur, vere soluit, & ab obligatione liberatur, & qui summo mane diei festi Missam audit, præceptio-
pus facit, eiusq. obligationi satisfacit, etiam si pro illa hora nondum vrgeretur illo præcepto, & in quocumq. alio præcepto affirmatio idem videre licet. Erratio est, quia licet tale præceptum non pro semper obliget, obligat tamen semper, & hoc satis est, ut, quoties opus eius sit, impleatur, si antea non erat impletum. Eo vel maxime, quod in casu, in quo Augustinus loquitur, necessarium erat, actum contritionis fieri eo tempore, pro quo præceptum obligabat, quia loquitur de iustificatione, quæ fit in articulo mortis adeo vicina, ut non permittat tempus bene operandi post iustificationem, ut in bono Latrone contigit, de quo alii loquuntur. At vero in homine antea in peccato existente pro illo articulo maxime obligat præceptum contritionis, ergo non potest quis tunc iustificari sine omni opere præcepto, saltem interno: ergo non potest in illo sensu verum esse, hominem illum iustificari sine omni opere præcepto tam interno, quam externo.

Dico ergo, intentionem Augustini in illo loco solum fuisse docere, quod licet opera non fuerint homini necessaria ante fidem, ut per fidem iustificaretur, quia iustitiam, & fidem gratis accepit, nihilominus indigere operibus iustis, etiam post iustificationem obtentam, ut illam non amittat. In quo doctrinam hæreticorum damnat, ut latius libro. 10. videbimus. Quia vero illa bona opera subsequenta fidem non sunt simpliciter necessaria in re, sed si fieri possint, & tempus detur, ideo addidit Augustinus, posse aliquem perpetuam retinere iustitiam sine operibus subsequen-
tibus fidem, si viuere non permittatur. Vbi loquitur de operibus subsequen-
tibus tempore, non natura, nam ad huiusmodi opera est necessaria duratio vitæ post iustificationem, non ad illa, quæ simul tempore existunt, licet sint ordine naturæ posteriora. Et certe videtur maxime loqui de operibus externis, hæc enim sæpe non permittuntur fieri propter breuitatem vitæ, nam quoad internos actus vix potest contingere iustificatio tam vicina morti, ut non relinquatur breue aliquod tempus exercendi boni motum internum post obtentam iustitiam, ut in bono Latrone, & similibus considerari potest. Non videtur ergo Augustinus excludere actus internos, etiam tempore subsequentes iustificationem. Multo ergo minus excludit actus internos voluntatis in eodem momento, in quo perficitur iustificatio, imo illos supponit, cum definiat de per charitatem operante aperte loquatur. Et hæc tenus de testimoniis Patrum.

Prima

24. Ad rationem primam.

Prima ratio hæreticorum fundatur in alio errore de iustitia imputatiua supra impugnato, unde facile respondetur negando illud. Addere vero possumus, etiam si verum esset, iustificari hominem per Christi iustitiam sibi imputatam, gratis dici imputari potius ratione fidei, quam dilectionis, vel amoris eiusdem iustitiæ, & applicationis eius. Quia illa applicatio, vel imputatio non fit per solam apprehensionem intellectus, ut apprehensio est, nam talis apprehensio esse potest in homine non credente, ergo vel apprehenditur per iudicium, quo quis firmiter credit, sibi imputari iustitiam Christi, vel per fiduciam, quæ firmiter id sperat, utraque autem ex his valde metaphorica apprehensio est, quæ maiori ratione, & proprietate potest attribui dilectioni, & amoris, quo aliquis iustitiam illam vt suam amet, vel sibi cupiat, volens sub illa, & per illam, prout potuerit, iustificari. Accedit, quod nec de fide, nec de fiducia potest dici, quod sit talis apprehensio iustitiæ naturæ suæ, si non fundetur in aliqua institutione, & promissione Dei, vt est per se notum. Atq; ita per fidem, vel fiduciam apprehendi iustitiam nihil aliud erit, quam esse conditiones quasdam, quibus politis, ex promissione Dei iustitia Christi homini applicatur, vt propter illam ei non imputentur peccata, ergo simili ratione potuit eandem promissionem Deus facere amoris, vel penitentiae, ergo per hos etiam actus potuit applicari iustitia Christi. In Scriptura autem non minus, imo magis fit promissio remissionis peccatorum sub conditione dilectionis; ergo gratis tribuunt hæretici istam apprehensionem fidei, vel fiduciae, potius, quam dilectioni. Quem discursum latius profectur Bellarminus libro 1. de iustificat. capit. 16. & Valent. 2. tom. disput. 8. quæstio. 5. punct. 4. §. 1. vers. Quarto. Quocirca controuersia cum hæreticis de vera, vel imputata iustitia inherente, vel intrinseca denominante, longe diuersa est a questione præsentis de actibus, quibus iustitia illa, qualiscunq; sit, obtinetur: & quicquid sit de iustificationis modo quoad formam, euidens est ex Scripturis, non minus esse necessariam dilectionem, & penitentiam, vt recipiatur, vel apprehendatur iustitia, quam fides, vel fiduciam.

25. Ratio securi de infirmitate. Redarguunt hæretici.

Ad secundam rationem ex eo sumptam, quod gratis iustificamur, respondetur, principium esse catholicum, quod in sequenti capite, & infra li. 1. late tractandum est. Nunc breuiter negamus consequentiam, sicut illam virtutem negat Concilium Tridentin. sess. 6. capit. 8. vbi declarat sensum, in quo dicimur gratis iustificari nimirum, quia nihil eo um, quæ iustificationem præcedunt, sine fide, sine opera, ipsam iustificationis gratiam promeretur. Ex quibus verbis redarguere possumus hæreticos, quia si necessitas penitentiae, v.g. vel charitatis obstat, quominus iustificatio gratis fiat, obstat etiam necessitas actus fidei, vel si fides, vel fiducia potest concurrere ad iustificationem sine merito, poterit etiam amor, vel penitentia. Consequentiam hanc inferius tractando de merito, latius explicaturi sumus, nunc breuiter ostenditur, quia sicut penitentia, vel amor est opus hominis, ita etiam & fides est opus nostrum. Nam Christus exigit fidei à Iudæis, dicebat illis. Operamini, non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, quod de actu credendi statim ipse explicuit Ioa. 6. & sicut fides est opus Dei in nobis, vt ibidem dicitur, & donum Dei, vt ait Paulus ad Phil. 1. ita etiam charitas, & penitentia est opus, & donum Dei, vt in superioribus late probatum est, & sicut vnum ex his operibus est bonum, ita, & aliud, vel si ipsi hæretici dicunt, omnia opera nostra esse mala, idem cogentur de fide dicere. Ac proinde si vel hoc titulo, vel quocunque alio negent, actus nostros esse meritorios, profecto etiam si requirantur ad iustitiam, non impediunt, quin iustificatio gratis fiat: si vero dicant esse meritorios, & ideo obstat gratuitæ iustificationi, idem illis sequeretur de actu fidei.

pars 3.

Vel denique si contendunt, ab actu fidei concurrente ad iustificationem, separari rationem meriti, quia antecedit, idem nos dicimus (sicut Concilium dixit) de ceteris actibus, nam antecedunt iustificationem, ergo ex eo, quod iustificatio gratis, & sine merito fiat, non magis inferri potest heri sine necessitate penitentiae, vel alcerius similis dispositionis ex parte nostra, quam fidei, vel fiduciae. Itaque euidenter conuincitur, eorum argumentum nihil magis contra nos, quam contra suam fidem virgere. Quomodo autem illa duo componantur, iustificationem nobis dari gratis, & nihilominus non dari sine dispositionibus nostris, summam dicitur, quia dispositiones, & sunt ex spiritu gratiæ, & non merentur iustificationem ipsam de condigno, vt postea latius dicemus.

Informa factis.

Vltima ratio sumebatur ex alio principio, quod homo nihil boni potest operari, prius quam iustificetur, maxime id intelligendo Theologico more, vt nunc loquimur, de bono opere conducente ad salutem, quod pietatis dicitur. At hoc principium simili modo potest contra hæreticos replicari, nam fides est opus hominis, vt ostensum est, & præcedit iustificationem saltem naturæ, cum secundum illos sit organum, quo illa apprehendimus, vel ergo est opus malum, & sic per malum opus iusti efficiuntur, quod absurdissimum est, vel est opus bonum, & sic falsum est illud generale principium, & quod ipsi de fide dixerint, nos de aliis dispositionibus dicemus. Respondemus ergo principiū illud posse in se, & absolute considerari, vel prout fundatur in doctrina Augustini. Priori modo distinguendum est verbum illud, *Iustificetur*. Accipitur enim potest late, vel stricte. Priori modo iustificari dici potest, qui ad iustitiam moueri incipit, quamuis ipsam iustitiam formaliter iustificantem nondum acceperit: posteriori modo dicitur quis iustificari in eo puncto, quo apud Deum fit iustus, ipsamq; formam iustitiæ in se recipit. In priori acceptione verissime dicitur, hominem nihil boni posse operari, priusquam ex parte aliqua iustificetur, quia si opus est pium, etiam si sit primum, per illud incipit aliquo modo iustificatio, saltem remote, vt in superioribus visum est. At vero si iustificandi verbum sumatur posteriori modo pro ipsa infusione iustitiæ, per quam homo iustus constituitur, sic principium illud non est verum, nam potest homo multa pietatis opera efficere prius natura, imo & tempore, quam iustus sit, vt in superioribus late probatum est.

26. Vltimū argumentū in hos hæreticos retorquetur.

Distinctio - ne vtendum

Loquendo autem de doctrina Augustini, dicimus in primis etiam in illa notissimum esse fidem antecedere iustificationem perfectam, & posteriori modo pro gratiæ infusione sumptam, nam vulgare est apud ipsum, fidem impetrare iustitiam, & remissionem peccatorum epist. 105. lib. de Grat. & liber arbit. cap. 7. de Prædestinat. Sanctior. ca. 7. non posset autem aliquo modo impetrare, nisi aliquo modo præcederet, & interdum addit spem, interdum confessionem proprii peccati, vel orationem, vt libro 2. cont. Parmen. c. 8. agens de publicano. Igitur cum dicit, bona opera non antecedere iustificationem, necesse est, vt in alio sensu de iustificatione loquatur, quod apud ipsum inusitatum non est. Nam is, qui confitetur peccata, dicitur inchoare iustitiam lib. 4. de Baptism. ca. 21. & tract. 4. in Ioan. & in dicta epist. 105. dicit, iustificari hominem non sola remissione peccatorum, sed etiam inspiratione fidei, timoris &c. Et ita videtur loqui dicta q. 2. ad Simplician. & li. de Fide, & operib. cap. 4. nam generatim de gratia loquitur. Quod si alicubi loquitur de homine iam perfecte iusto, vel loquitur de opere iustitiæ, quod sit meritorium de condigno, vt plane videtur loqui in locis allegatis super Psalmos, vel loquitur non de vno, aut alio opere iustitiæ, sed de operatione iustitiæ integra cum obseruatione omnium mandatorum, & hanc dicit non esse, nisi in homine iam iusto, & ita plane loquitur in libro de

27. In doctrina Aug. soluitur superior ratio.

Y 3

bro de

bro de Spiritu, & litera, & contra duas Epistolas Pelagiani. Nihil ergo ex illo principio recte intellecto contra catholicam doctrinam inferri potest.

CAPVT XXII.

Quo sensu dicat Paulus, hominem non iustificari ex operibus, & non contradicat Iacobo dicenti, hominem ex operibus iustificari.

VLtima, & præcipua obiectio hæreticorum sumitur ex doctrina Pauli sæpissime negantis hominem iustificari ex operibus. Apud eum autem distinguere possumus duplicia testimonia, quædam, in quibus loquitur de operibus legis, ab aliis, in quibus generalius, & sine vlla restrictione loquitur. Prioris generis sunt hæc, ad Roman. tertio. Ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram illo. Et infra. Arbitramur iustificari hominem per fidem sine operibus legis. Et ut ostendat, se loqui de lege scripta, adiungit ita. An Iudeorum Deus tantum? quia videlicet illis tantum data fuerat lex, quam ibi, legem factorum vocauerat, Et similiter ad Galat. 2. ostendens, se loqui de Iudeorum lege, inquit: Nos ex natura Iudei, & non ex gentibus peccatores, scientes autem, quod non iustificatur homo ex operibus legis, nisi ex fide Iesu Christi, & nos in Christo Iesu credimus, ut iustificemur ex fide Christi, & non ex operibus legis, propter quod ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram illo. Si enim per legem iustitia, ergo gratis Christus mortuus est. Et in cap. quinto. Euacuati estis à Christo, qui in lege iustificamini, à gratia excidistis: non enim spiritu ex fide spem iustitiæ expectamus. Et ad Philippen. 3. dicit, omnia legalia contemnere, Vt Christum (ait) lucrificiam, & inueniar in illo non habens meam iustitiam, quæ ex lege est, sed illam, quæ ex fide est Christi IESU, quæ ex Deo est iustitia in fide.

Posterioris ordinis sunt illa testimonia, in quibus Paulus absolute, & sine limitatione vlla negat, hominem iustificari ex operibus. Præcipuum est ad Roman. 4. Si Abraham ex operibus iustificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum. Vnde tacite subsumit, sed Abraham apud Deum gloriam habet, ergo non est ex operibus iustificatus. Vbi iam non de operibus legis, sed simpliciter de quibuscunque operibus loqui videtur. Quod magis comprobatur ratio, quam subdit, sic enim argumentatur, Ei qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum, ei autem, qui non operatur, credenti autem in eum, qui iustificat impium, reputatur fides eius ad iustitiam secundum propositum gratiæ Dei. At vero Abraham iustificatus est, quia credidit Deo, & fides est illi reputata ad iustitiam, ut Scriptura dicit, ergo non est ex operibus iustificatus. In quo argumento maior propositio necessario de quibuscunque operibus intelligenda est, quia merces quorumcunque operum gratiam excludit, sicut idem Paulus capit. 11. eiusdem epistolæ dicit: Si gratia, iam non ex operibus, alioqui gratia non est gratia. Vnde ad Ephes. 3. Gratia (inquit) estis saluati per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum est, non ex operibus, ut ne quis gloriatur. Quæ ratio exigit, ut excludantur omnia opera, quia de quibuscunque propriis posset quis gloriari. Ac denique quoties Paulus absolute excludit opera, omnia remouet, ut Roman. 9. Non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei &c. ut ponderavit Augustinus libr. de Prædestinat. Sanctior. capit. 7. Et 2. ad Timot. 1. Vocauit nos vocatione sua sancta, non secundum opera nostra &c. ad Tit. 1. Non ex operibus iustitia, quæ fecimus nos, & proprietas verborum id requirit, tum quia negatio vi sua omnia includit, nisi limitetur ex parte termini, cui adiungitur, tum quia sermo est doctrinalis, & ideo sine limitatione traditus vniuersali æquiualeat.

¹ Priora igitur loca per se, ac solitarie spectata à multis intelliguntur stricte de lege veteri quoad proprios

ritus, & cœremonias eius. Et sic intellecta non habent repugnantiam cum Iacobo, ille enim nunquam his operibus legis tribuit iustificationem, neque in se habent difficultatem, quia si de præsentis temporis sermo, certum est hominem non solum iustificari ex illis operibus, sed potius iustitiam amittere, vel illius pedimentum apponere, si illa ut opera sunt antiquæ legis faciat. Si vero loquamur absolute de tempore ante datam legem, etiam est certum, illa opera non fuisse necessaria ad iustificationem, ut exemplum Abraham ostendit. Idemque est de omnibus gentilibus, etiam pro tempore legis antiquæ. Si denique loquamur de tempore, pro quo illa lex durauit, & de Iudeis, qui illi subiciebantur, fietiam verum est, nunquam fuisse iustificatos ex operibus legis ut illius erant, quia illa lex nihil ad perfectum adduxit, ut dicitur ad Hebræ. 7. nec per se habebat vim iustificandi, quia erat vacua, & egena, ut tom. 3. de sacrament. & li. vi. de legibus ostensum est. Nihilominus tamen verum est, potuisse homines illam legem seruantes iustificari tum prima iustificatione habentes cum fide, & penitentia propositum seruandi illam legem, ad quam tenebantur, tum secunda iustificatione, merendo augmentum iustitiæ seruando legem illam, ita tamen vt neutra iustitia tunc daretur virtute legis, sed fidei non otiosa, aut mortua, sed conuenienter ad legem ipsiusmet operantis: lex enim vetus nec fidem, nec legem conuertitalem (vt sic dicam) ipsi fidei excluderebat, imo in illa fundabatur. Vnde Paulus excludens dicto modo opera legis, non excludit legem fidei, nec opera eius. Imo nec ipsa opera, quæ lex habebat, quatenus fieri poterant, & debebant spiritu fidei Dei, & Christi. Quia vero Iudei increduli, & Christo repugnantes, vel etiam male, & ignoranter Christum admittentes, ita in lege contidebant, ac si materiali (vt sic dicam) obseruatione ipsius, & non ex fide Christi venturi ad salutem valeret, vel etiam necessaria esset: ideo Paulus contra illos scribens, & ad sensum illorum loquens, opera legis reiecit à iustificatione, quia nec ad illam necessaria sunt, nec ex vi legis vtilia, sed tota iustificatio in spiritu fidei radicè habeat, & per opera fidei, ut ratio sunt comparetur, seu compleatur. Si ergo illa testimonia in hoc sensu exponantur, nihil in illis habent hæretici, quod obiciant, ut per se patet.

Difficultas vero est, an hic sensus sufficiat, & an posteriora testimonia sint ita per priora limitanda, & applicanda, vel potius priora per posteriora magis amplianda. Priorem partem videtur semper sequutus Ambrosius, vel quicunque fuit auctor commentarii in Paulum, qui Ambrosio tribuuntur, & nonnulli alii, qui putant, sufficienter, ac generaliter exponi omnia loca Pauli, quod vbiq; tantum excludat opera legis sub formalitate (vt sic dicam) operum legis veteris. Et videtur hæc responsio fieri probabilis. Primo quia optime exponitur Scriptura, quædam loca per alia ita declarando, ut inconuenientia, vel errores, qui in alio sensu sequi possunt, facilius vitentur, hoc autem in illa expositione obseruatur, ergo. Secundo non est necessarium, ut in omnibus Scripturæ locis de eadē re loquentibus, eadem verba semper repetantur, sed interdum licet vnum, vel aliud verbum omittatur, ex aliis locis subintellectum creditur. Sic enim supra dicebamus, ut quoties Scriptura de iustificatione loquitur, & illam fidei tribuit, charitatis etiam mentionem faciat, nam ex aliis locis subintelligitur, ergo similiter licet Paulus dicens, non ex operibus, non semper addat legis, optime potest ex aliis locis subintelligi. Tercio iuvat, quod vbi prius Paulus absolute dicit, non ex operibus, statim illud explanat in operibus legis veteris, ut in præcipuo loco, qui est ad Romanos quarto, postquam dixit Abraham non fuisse ex operibus iustificatum, statim subiungit. Dicimus, quia reputata est Abraham fide ad iustitiam. Quomodo ergo reputata est, in circumcissione, an in præputio? non in circumcissione, sed in præputio. Vbi statim